



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1664

Tractatus XVI. Synopsis omnium praecedentium Tractatum: seu
demonstratiua deductio, & connexio totius argumenti, cum conclusione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13517

TRACTATUS XVI.

Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete: & pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu Domino nostro. *ad Philip. 4.*

Synopsis omnium præcedentium Tractatum seu demonstratiua deductio, & connexio totius argumenti.

P R O O E M I V M.



Inis hic demum fuit, & scopus, ad quem totus hic ratiocinationum decursus collimauit, Gaudium ab Apostolo tam magnificè commendatum vobis ob oculos ponere, artemque exponere, quâ certò, facili tamen illud negotio consequamur. Non enim totam diuinæ Prouidentię seriem vobis clarè & fusè explicare, fuit animus: illud tantum attingendum arbitrabar, quod videbatur sufficere, ad excitandam ingentem planè de Diuinis decretis opinionem: quâ ritè conceptâ, procliuè videbam fore vnicuique voluntatem suam tantæ Mentis, in omnibus quæ eueniunt, exactissimè conformare. Vnde tandem existet verum gaudium, & lætitia, siue quies mentis, quâ dabitur syncerè frui, medias inter procellas, & turbines huius mundi constitutis. Quod an apud vos consecutus sim, sanè ignoro: illud tamen scio, neque mihi voluntatem rectè cogitationes meas exponendi, neque vobis studium percipiendi, attentionemque defuisse.

Istud operæ pretium futurum arbitror, si non singula quidem retulero, sed artem totam procurandi Gaudij, tantâ renam farragine fortasse implicatam, aut certè non tam clarè expeditam, diluci-

dilucidè quasi per epitomen, vno velut aspectu contemplandam proposuero. Totum orationis filum retexendo, manifestum faciemus artificium; illudque fiet euidens, omnia vnico tantùm, eoque firmissimo argumento fuisse superstructa. Itaque veritates solas, quarum rationes fusè exposui, meditabundus percurram; & euellam radicitus, vti spero, quas hactenus habui peruersas de rebus opinionones, vnicam ferè perturbationum omnium, quæ me vndique iactarunt, originem & fundamentum.

INTRODVCTIO.

- I. **D**Ate mihi hanc veniam, Auditores, vt mutata paululum dicendi ratione, non tam ad vos, vti fieri assolet, tota dirigatur oratio, quàm ad me ipsum. Sinite me mecum agere res meas, & cogitationibus meis meditabundum interesse. Omnia enim quæ circa me sunt, cum plena tumultibus esse audiam, egredi sanè domo meâ non ausim; ne perturbationibus, quibus totus, quantus est, mundus inuolui dicitur, incautus implicer, & abripiar. Domi itaque meâ me contineo, cogitationes omnes intra me retrahò; visurus porrò an quietem, tranquillitatemque, quam solam verum gaudium esse scio, quamque foris inuenire non est vbi perturbantur omnia, intra mentis meæ terminos non detur reperire. Sanè Gaudium vult Seneca, cuique domi suæ nasci. Agite igitur; totamque cogitationum mearum seriem, attentâ vos mente sequimini: Quietem animi in hoc rerum tam perturbatarum labyrintho si reperero, filum habebitis, quo vos ex omnibus rerum vicissitudinibus facillè extricabitis; quietemque animi, ad quam omnes suspirant, quamque consequuntur pauci, tandem dabitur obtinere. Hâc mihi per humanitatem vestram datâ veniâ, ad quietem me compono, & rationes meas mecum sic instituo.

*In animo
quærenda
est quies,
non verò
extra se.*

TRACTATUS I.

2. **N**E mo ferè vllus est qui non asserat, imò & conqueratur, orbem vniuersum plenum esse molestiis, difficultatibus plenum. Et quidem inducor facillè, vt id ita esse credam, tam multi cum sint, qui id affirmant viri omni exceptione maiores, & ve-

Tumultibus & molestiis plenus dicitur esse mundus.

rò

rò etiam rem experti. Verùm cum molestiarum tantarum originem examino, illud mihi obtrudunt illico, non aliam tot perturbationum esse causam, quàm quòd totus quantus est *Mundus in maligno positus sit*, idcirco omnia pessum ire, idcirco turbari omnia, nemini quietem dari. *Omnes que sua sunt querunt*, & sua dum quærunt, inueniunt aliena; nec inueniant modò, sed & rapiunt, iure an iniuriã nulla est curatio. Amici plerumque sunt aut ignoti, aut incerti; & hi etiam pauci; inuidi, calumniatores, contumeliosi, hostes, publici & manifesti. Vix quidquam ratione geritur, sed pro potentium lubentiã, aut potiùs libidine dominandi. Si quis vir frugi est, contemptui est; deprimatur, irridetur. Ut ad summa quæque fastigia eleueris, sufficit esse adulatorem insignem, mendacem, periurum, linguã proccacem, promptum manu, audere quidlibet, nihil timere, ne Deum quidem. Si verò corpus ipsi nostrum, animumque attendimus, Deus bone, quot vicissitudinibus implicamur miseri! Iam morbis iactamur, & quidem innumeris; iam utcumque valetudine fruimur; iam languoribus, doloribusque dissoluimur. Si homines quibus conuiuius attendamus; iam ab iis amamur, iam deserimur; iam prodimur, iam iuuamur; iam in cælum laudibus extollimur, iam in barathrum vsque detrudimur. Qu' d, quòd fortunã iactamur variã, rarò prosperã, semper ferè aduersã? Imò nec cælum ipsum satis cõstat sibi. iam sunt hyemes frigidissimæ, iam æstibus terra aduritur; iam constringuntur frigore membra, iam caloribus dissoluuntur; iam serena est aura, iam pluuia, iam dubia, nunquam eadem. Hinc fames, hinc frugum malignitas, hinc pestilentes auræ, hinc morbi innumeri, hinc denique intempestiuæ mortes. Quid vero iam bella commemorem tum domestica, tum publica. Strepunt litigantium clamoribus Iudicum subsellia; tremunt sub Martis furore Prouinciæ integræ; domi & foris omnia perturbantur. Et quis tot inter tumultus, tot inter gemitus & suspiria, tot inter clades & ruinas, quis inquam dabitur quiescendi modus? Quo pacto stabo ego, vbi circa me mouentur omnia?

*Verum tã-
tum omnia
est cuique
propria sci
licet phã-
tasia aut*

Hæc mihi passim homines obganniunt, & quidem magno supercilio. Verùm cum ea, quæ in animo intus meo aguntur, penitus inspicio, hominum dictis statui non tam facile credere posthac. Video enim mundum immerito accusari, neque molestiarum

lestiarum myriades esse, prout vulgus opinatur, sed tantum vnicam, quæ mihi omne negotium facessit. Ea verò in me ipso est, & quidem vitio meo: Vnica, inquam, quæ in me perperam dominatur phantasia dicam an peruersa opinio, eaque sola est turbatum omnium quæ in me concitantur origo, aut certe occasio. Commodum me id monuit Epictetus: *Homines turbantur non rebus, sed iis quas de rebus habent opinionibus.* Tota autem opinionis meæ peruersitas in hoc est posita, omnia quod velim fieri arbitrari meo. Hoc quod non fiat, idcirco displicent omnia; quæ verò displicent, turbant mentem, cum eueniunt. Hanc autem ipsissimam esse perturbationum originem, liquido mihi manifestum est: nam si hæc omnia quæ contingunt modo, mea directione euenirent, & imperio; etiam si longè deterior ratione tota volueretur rerum series, & funditus pessum irent omnia, totumque turbaretur orbis, viderem sane ego omnia, & summam eum animi mei voluptate aspicerem mundi turpas, quem seipsum non nisi voluntate meâ corruiere. Placerent itaque tunc ea, quæ modo improbo; quod autem placeret, nunquam turbat: quod enim est, quod volo esse. Non igitur id diuendum est post hæc mihi, mundum vniuersum plenum esse doloribus, plenum difficultatibus, & molestiis, illud tantum in hoc mundo quod res est, hoc vnicum in mundo mihi molestum accidere, nihil in eo fieri arbitrari meo; nihil inquam agi, prout ego agendum iudico. En tota hominis perturbatio.

*opinos non
quod nihil
in orbe re-
ste agatur.*

*Hac corri-
genda, ut
quietus sis.*

*Et quidem
sola, ut in-
ci. es om-*

Epict. in
Enchi.
c. 10.

Fig. 4.
ind. 4.

4.

Quod si ergo opinionem illam, æquam an inquam nihil moror, si tamen eam vnicuique sitq. possim deponere, meamque mentem vniuersitati conformando, omnia approbem quæ eueniunt & pro ut eueniunt, velimque ita esse ut sunt, tunc certe non video mentis meæ quietem perturbare quid possit, etiam si tota inuenteretur cæli terræque machina, id enim sit, fieri debere quod opinabar. At fieri non debuit, inquis. Istud vos disputate, quibus vacat esse perturbatis; illudque mox examinauero. Interim ita mea fert opinio, hæc ea sit an vero sapiens, parum retert; hæc satis est quieti meæ: quidquid enim mihi dixerint, non credam ego mihi officere id quod factum volo: volo autem, quia opinor sic factum oportuisse.

5.

Sane ergo hactenus quæ volui omnia quæ circa me sunt, quietem tot votis desideratam, ut oblinerem, qui phantasiam

D d d

ipse

nia debere fieri prout sunt.

ipse meam tantummodò ad quietem debui componere, pacata mihi vt sint omnia. Ridiculum id sanè sit, si vectorum quispiam mari vectus, ventos omnes filere velit, vridas quiescere, non moueri rudentes, non inuerti vela, non remos agi, non transcurrere transtra epibatàs, non flecti gubernaculum, sed altum omnia tenere silentium, priusquam ad somnum se placidè componat; certe id vult quod obtinere non poterit; & si obtineat, id profusus fiet damno suo, non enim nauigabit vbi nullus est motus. Sanè dormire si velit, medios inter tumultus ventorum, & clafsiariorum sua procurantium, imò & aliorum ludentium & debacchantium in sanas voces, nullum superest remediũ, nisi phantasiũ modestè vt sopiat. Sopiet autem, si isthæc omnia ita prorsus fieri debere opinetur, neque cuiquam silentium imponendum esse nisi sibi, vt somnum capiat.

Hoc autem iudicare & velle, in manu vniuscuiusque est.

Ita profectò est. Quid ergò demens ego cogitationes meas toto vagari passim orbe patior, cur omnia ad mordeo, cur iudicium tero de singulis, meque cunctis intermiscéo? An componere ego volo, & emendare omnia extra me quæ sunt? Certè dum cuncta sollicitus compono, neminem perturbò magis quam me ipsum, nihil emendo, & solum me excrucio. Quid ergò agendum est mihi. Certè id quod præclare admonet Epistetus: *Nam postulat postulat ea que sunt arbitrata meo fieri, sed vt sapiam, ita fieri queque volam vt sunt.* Aliorum enim voluntates inflectere, in manu mea non est; meam verò immutare, id sanè est. Si nihil haftenus factum est, prout volebam ego, præstat sanè me velle posthæc, facta esse omnia prout vt sunt. Hoc autem velle, erit facilissimum, opinionem vnicam si correxero, iudicemque rectè cunctis fieri, quæcumque sunt. Hoc si euicero, quæta in animo meo eruat omnia, vt cumque turbetur foris.

6.

Epict. Enchir. c. 13.

vtroque

TRACTATUS II.

Sic est inquis. Verum hic Rhodus, hic salus. Quo pacto enim omnia rectè agi, rectè mihi persuasero, qui vel oculis ipsis nihil non pessum ire perspicio? Naturam enim si specto, quanta in aère est sæpè inclementia? modò ventis, procellisque toto cælo decertatur, modò fulmina terram concutiunt, modò hyemes yltra quam par est frigida, modò æstates torridæ, modo fruges aut

7.

making

bbcl

aut

aut vento, aut calore absumptæ, modò fame & peste pereunt passim omnia, modò mare tempestatibus agitatum exarsuantes fluctus extollit, quasi si toti orbi exitium miniterur: & hæc omnia rectè fieri dixerò, quæ video non ratione, sed casu ferri? lam verò, si humana specto commercia, quid hic demum rectè fit? An non omnia plena mendaciis, periuriis, falsâ fide, fictâ amicitia? An non contentionibus, & litibus fora perstrepunt, bellis prouinciæ? Quid, quod pessimo cuique tantum licet, quantum lubet; iisque ferè pateant aulæ, dignitates, honores, & diuitiæ; quæ modestis hominibus ocludantur; illi elati, hi humiles, illi in deliciis, hi in egestate summa. An non hæc omnia casus fert? Quid autem bene fit, quod casu fit?

8. Ira ego ipsèmet mecum. Verùm cum hanc quam pessum ire credò orbis machinam, hominumque commercium adeo turbatum, stare videam nihilominus tam longâ annorum serie, omnesque rerum, calorum, fortunarum, hominumque vicissitudines ire videam, & redire; orbem vniuersum, susque deque inuerti, nec tamen euerti, aut à cardinibus suis dimoueri; tum certè grauissima mihi incidit suspicio, gubernatorem aliquem clauo assidere, qui isthæc dirigat; oculos vt lateat, mentem tamen sanam latere non potest. Sicque mihi video contigisse, quod homini nauticæ rei ignaro, Indico in mari nauiganti, is sanè, cum in vastissimo illo oceano constitutus, transra cogitabundus obambulat, epibatasque considerat tota transcurstantes nauis; modò malos conscendere, modò ad carinam se dimittere; modò vela, modò antennas explicare, modò contrahere; modò in ortum proram dirigere, modò in dexteram lauamque deslectere; modò rudentes stringere, laxare modò; omnia pauidus contemplatur, omniumque rationes à nautis dum exigit, nec responsum ab impeditis hominibus æquum tert; nec si ferat, quidquam intelligit, vtpote nauiculariæ artis ignarus plane. Hinc turbata cum credit omnia (quis enim id non credat, tantam tamque variam vltro citroque curstantium epibatarum varietatem dum contemplatur?) toto turbatur corpore, periturumque se prorsus credit, aut vadis impactum, aut malâ fame. At verò cum interiùs gubernatoris conclaue subintrat, hominemque multâ iam canitie grauem, mappæ, quam præ oculis expansam habet, incumbentem sedulò videt, rhombosque defig-

*Neque ut
hoc iudice-
mus necesse
est scire om-
nium rerum
rationes.
Declaratur
id per
compara-
tionem.*

nantem accur: tione maxima; clepsydias vnde quaque pendentes, astrolabia, unguis, quadrantes excipiendo solis altitudinis, pyxidem nauticam, regulas, & circulos elegantissime confectos, & in rationes gradusque quaeque suos disjuncta instrumenta dum admiratur; ephemerides denique & tabulas declinationum, refractionum, & altitudinum dum obstupescit, isque omnibus uti senem illum, ut cursum navis dirigat; eum esse qui e conclavi mandata dat, cuique omnis illa epibatarum turba tacita & habens parat, tum demum omnis abire illico ex animo timor, & recte agi cuncta credit. An tamen rationes omnes intelligit eorum singula imperentur? minime gentium. Quid igitur hominem paulo ante tam perturbatum sedat? sola quam de nave leri concepit arte & industria, ingens & tamen caeca opinio.

ut supra
 sufficit scire
 re omnia
 Deo dirigi

Itane vero? sola hominem opinio in media morte constitutum placat? Quid ergo me rerum omnium rationibus inquirendis discrucio? Quid mundum tot casibus involui queror? Quid me cogitationibus meis perturbo? singulari dum examino? Satius est profecto ab hominum strepitu & turba sese submouentem altius rem inspicere, & an non aliqua Mens sit quae cunctis imperet, sedulo perquirere. Intraui itaque Davide praecunte Sanctuarium Dei, conclavie inquam, Providentiae Divinae, Sanctioris Concilii aulam, de qua mihi D. Augustinus in aurem ingesserat. *Nihil fieri sensibilitate, & visibilitate, imo nullo profus modo, quod de interiore illa aula aut non iubeatur, aut non permittatur.* Intraui inquam curiosus rei; & ecce subito apparuit *Antiquas ille dierum Deus;* hunc videbam in conspectu suo habere *omnes vias meas;* imo & mortalium omnium. Stupebat sane mecum David, & admirandus exclamavit illico: Quid deum hocce rei est? *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrexisti in meam. & omnes vias meas praevisti. Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima & antiqua. & in libro tuo omnes scribuntur. Ecce tu mensurabiles fecisti dies meos. Omnia inuestigas, omnia rimaris, omnia expendis, omnia trutinas. Certè stupore percellor, Non est sermo in lingua mea.* Itane aguntur omnia ab una Mente, & quidem unica, quae mihi casu videbantur volui? profecto humeros iam contraho, incusoque ipsemet me.

8
 9
 Aug. l. 3
 de Trin.
 c. 4.
 Dan. 7.
 Psal. 138.
 10

Modo ingi-
 tem de ipso
 habeamus
 opinionem.

De hac igitur, omnia profus dirigente Mente, praecelaram ego ingentemque opinionem si concepero, facile rebus omnibus

bbcl



bus acquiescam; & verò eam habere me debere, Diuina cum sit, facile suspicor; nam vt Epicetum ipsum, quamuis Ethnicum dicentem audio, Religionis erga Deos immortales (pro suo errore Diuinitatem in plures diuidit, quam ego in vno adoro) precipuum illud est, rectas de eis habere opiniones. Ea autem sunt, vt sentias, & eos esse, & bene iustèque administrare omnia. Vnde illud consequitur, Parendum esse eis, & omnibus ijs que fiunt acquiescendum, & sequendum vtrò, vt que à Mente præstantissima agantur.

Epicet. in
Enchir.
c. 38.

11. Illud itaque mihi iam agendum est, non vt rerum omnium causas intelligam, vt exinde sentiam omnia rectè agi; sed vt magnam illam de Dei Mente, per quam aguntur omnia, opinionem in me concitem. Neque enim vector ille rei nauticæ ignarus, naucleri studia cum aspexit, illico nauiculariæ artis, instrumentorumque omnium rationes tenuit; ne nomina percepit quidem; verùm singula vt aspexit, suspexit omnia. Vifus admirationem, admiratio opinionem de nauclero ingentem peperit, opinio autem omnem deterfit animi perturbationem.

12. Opinione itaque præclaram de Diuina Mente mihi vt ef-
formarem, non Deum ipsam contemplatus sum, sed instru-
menta quibus vtitur ad dirigendam hanc Vniuersi machinam,
curiosus aspexi; & quidem maiora primùm, vt que in oculos
se præ cæteris inferebant. Consideraui totam cælorum expan-
sam pellis instar superficiem, eamque quot stellis tot adamanti-
bus exornatam, tentorium tantummodò esse comperi, quo tota
interior regeretur machina. Tum verò Solis, & Lunæ ingentes
globos, magnitudinem, situm, calorem, lumen, cursus varios;
terra verò dispositionem, cauernas, antra, concauitates exci-
piendis marinis aquis, decliuitatem deuoluendis fluminibus ac-
commodatam contemplatus, omnia percepi ita inter se con-
nexa, distantias, situm, magnitudinem singulorum corporum
eam inter se habere symmetriam, vt nec sibi propinquiora esse
possint, ne se conficiant; nec verò etiam remotiora, vt mutuo
fese influxu, & amplexu foueant, & iuuent. Hoc cum vidi, stu-
pui illico, & magnâ admiratione defixus exclamare lubuit, *Celi
enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius enuntiat firmamen-
tum. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & sanctus in ope-
ribus suis.*

Hanc vt
in nobis cõ-
eitemus
considera-
tur instru-
menta ad-
miranda,
quibus
Deus vti-
tur in mû-
di directio-
ne.

*Etque non
casu facta,
sed summa
industria.*

Ridiculum autem, imo & stultum mihi visum fuit, quod maleferiata quædam capita mihi suggerebant, casu & per atomorum incertos lapsus, tam præclaram machinam coisse. Quis enim non pueriles inter nãnias reponat, quasque tædio leuando decantent ad columanus, si quis magno mihi fastu & verborum apparatu narret, & verò etiam persuadere nitatur, hanc quam hic videmus molem nullo architecto designante, nullisque adhibitis operarum manibus casu assurrexisse, sic forte sibi incumbentibus infinitis, quæ ex maris littore, vento huc delatæ fuerant arenulis; quæ tempestate cessante sibi inuicem insidentes, columnas aliæ, aliæ muros, aliæ fornicem efformarint, arte nullâ, merò casu? Ne hara quidem aut exile tuguriolum extrui potest siue artificis ideâ, & hanc tantam machinam, tantâ proportionè & symmetriâ, siue Mente aliquâ demens ego constructam arbitrer? Quid, quòd & motus omnes tam ingentium corporum, tot iam annorum millibus eundem cursum tenent, tot inter varietates, implexosque motus semper constantes, & similes sibi?

*Ad sublu-
nariâ cor-
porum ge-
nerationè
& conser-
uationem.*

At verò eum præclarissima illa cælorum corpora, non eò formata esse conspicio, vt sint, sed vt instrumenta sint, quibus tota naturæ series dirigatur, & verò etiam sæcunderur, & subsistat; tum sanè stupore abreptus fateri coactus sum; *Magnificata esse opera tua Domine, & nimis profundas esse cogitationes tuas, neque esse cogitationes similes tuis.*

Quid enim? An non id liquidò constat, lucem omnem è Sole existere; illum esse per quem noctium dierumque inæqualitas, hyemis, æstatisque vicissitudo, herbarum omnium & frugum diuersitas, amœnitas, sæcunditasque originem suam trahunt? En vt calore suo vapores è mari hauriat, qui frigore postmodum contracti, in nubes coguntur; dissoluti verò rursus, pluuiam tanquam haustra rigandæ terræ opportunè propinant. Hinc ventos, hinc niues, hinc grandinem, hinc fulmina video existere, totamque sublunarium rerum varietatem. Taceo nunc Luna labres indefessos, æstum illum maris admirandum quem secum trahit, orbi tam necessarium & commodum; taceo frigidiores influxus, quibus ardor Solis temperetur, sæcunditas terræ & animalium foueatur; taceo ingentes terræ cauernas, in quibus metalla & saxa tam varia, non nisi Solis calore excoquantur

quantur; quæ quidem maximam mihi sanè artificis, hæc instrumenta tam aptè, concinneque ad vsus suos adhibentis industriam, magnificentiamque liquidò commendant, præterquam quod multa abcondita sunt maiora his.

TRACTATUS III.

16. **H**Oc egodum attentus confidero, tum verò putidum planè mihi visum est, quod quidam cum Aristotele Philosophi ausi sunt statuere, Dei Prouidentiam non nisi vsque ad lunam descendere, sublunaria verò non curare. Indignum enim esse, aiebant illi, tantum Numen minutissimis animalculis, herbis, imò & sordibus sese impendere, quas vel manibus contrectare turpe sit viro. Cum hominibus verò non tam rectè agi, vt Deum credibile sit se iis impendere. An enim tantarum fortunarum inæqualitatem, permittat Deus, & scœlera non impunè fieri modò, sed & præmiis plerumque affici?
17. **F**œdæ sunt hæc blasphemantium voces, & verò etiam Philosopho indignæ, nescio quo pacto Aristoteli ingenium in Lunâ hæserit. Age enim, quisquis es; Diuinæ Prouidentia Censor temerarie. Cælorum orbis curare Deum dicis tu, sublunaria non curare. At verò quis artifex instrumenta artis suæ exacta vt sint curat, ad opus verò ipsum cui instrumenta adhibentur non attendit? Horologium vt horæ designentur conficit artifex; rotas summâ accuratatione distribuit, polit, excavat, tympana cochleasque ritè inserit, campanum æs superimponit, appendit pondera; horæ autem vt malleo aut indice designentur id verò non agit; aut si horis vt eumque inuigilet, certè quadrantibus non attendit, minutis verò multo minus; nimis enim hæc quidem exilia sunt, quàm vt iis procurandis sese impendat tantus artifex. Næ tu automatis imperitus es, qui isthæc dicta dicis; næ tu artificis es iniurius. Et enim non nisi vt horæ indicarentur, tota constructa est machina. Machinam ergò curet, qui horas negligit? Et rursus horis attendat, cui minuta ipsa non sunt in pretio? minuta sanè horas constituunt. Hæc si in hoc artifice sunt peridicula; in Deo certè sunt prorsus indigna.
18. **R**ursus enim cum animum ad ea, quæ in hoc terræ globo eueniunt, sedulus aduerto; illud liquidissimè perspicio, nullum esse

Hinc patet
Deum curare
sublunaria.

Etiam mi-
nima.

esse in nubibus nimbum, aut ventum, aut meteorum; nullum in mari motum; nullam in terrâ aut animantium, aut herbarum, ne minimi quidem flosculi, aut limacis exortum, qui non à Sole & Lunâ initium sumat, alimentum, & occasum. Illudque vel ex eo collegi clarissime, quod motu Soli adempto, brevissimo tempore animalia perirent omnia, totaque terra in squallidas arenas abiret illicò; aut frigore perpetuo constricta, nullum animalibus præstaret usum. Quis itaque sanus mihi, nisi insanum me reddiderit, persuadeat, cælestes orbis & corpora accurare Deum, sublunaria verò contemnere? cum istud liquido constet, solum ad sublunaria curanda, efformanda, alenda, & conservanda, calorum globos inuentos esse, & constructos. Instrumenta hæc sunt, & verò instrumentis inuigilat artifex, operi verò non attendit. Indignum id Deo dicis, exiguum nimis Deo; si ea curet ingloriam. Attamen honoris sui quamvis tenacissimum, tamen audio quasi iactantem se, non tantum quod sit imbrium, sed quod sanè valde minutum est, quod sit stille voris pater. *De vtero eius egressa quod sit glacies, & gebi de celo quod genuerit.* De celo, hoc est, per orbium cælestium corpora. Et verò Christus ipse Paterni honoris propagator egregius, palam proclamât, *ne passerem quidem in terram cadere sine Patre suo, omnesque ab eo capillos capitis esse numeratos.*

Neque cū
curam in-
dignā Deo.

Et verò, cur Deo indignum dicam ego, minutissimo etiam animalculo aduigilare, nec tamen eum dedecere Solis orbi assistere? quasi verò aut hoc, aut illud Deo dignum sit, si Dei secependentis voluntatem excepias. Quin imò si rectè rationem in eo, magis Deo digna est formicæ, culicisque efformatio, quam ipsius Solis; magis certe admirandum est in illis artificium; nam si tres, quatuorue in Sole motus sint, infiniti sunt in culice. Quid in Sole, formicæ studijs, affectionibus, laboribusque, simile reperies, si animalculi artificium spectes? Verum ne comparisonem instituamus, illud dicam cum Augustino. *Quis disposuit, quis fecit ista? expauescit in minimis, lauda magnum. Qui fecit in celo Angelum, ipse fecit in terrâ vermiculum.* Nemo autem mihi blasphemus obtrudat, quod Deus fecerit quidquam indignum se.

Atque ex his omnibus,

maximam sanè opinionem concipere incepi, de Mente, omnia & singula, non maxima modò sed & minima

Job 38,

19.

D Aug.
in pl. 14.

20.

minima quæque producentis, curantis, conferuantis Dei. In-
gens sanè Mens, quæ tanta circumplectitur.

TRACTATUS IV.

21. **V**erùm quia id mihi in mentem venire poterat, eum qui tan-
tis rebus vacat, operamque rebus tam diuersis vno tempore,
varijsque locis impendit, fortassis errare nonnunquam, aut ob-
liuione, aut incuriâ, aut etiam infortiâ; petiâ priùs à summo
Numine veniâ, arcanum illud conclaue aut *Sanctuarium*, altiùs
subij, totamque isthic Diuinæ Scientiæ, seu Theologiæ biblio-
thecam, & quidem non vnicam, sed triplicem sum contempla-
tus. Deus immortalis! Quid ibi non vidi, quid non stupui! ne-
que tamen libros ipsos inspicere datum fuit; titulos tantùm, &
quidem cursim perlustraui.

*Ad exci-
tandâ in-
gentem de
Deo opinio-
nem consi-
deratur
triplex scien-
tia Dei.*

22. Ac prima quidem quæ intranti occurrit Bibliotheca, seu
Scientia, est ea, quam Theologi vocant, *Scientiam simplicis in-
telligentiæ*. Simplex Intelligentia, quia nihil extra se operatur,
tota in intelligendo consistit. Deus bone quanta abyssus! Hâc
enim comprehendit omnes, quotquot sunt possibles creaturæ;
mundos possibles infinitos, qualis hic quem modò incolimus,
vnus est; creaturarum species infinitas, infinita in quâuis specie
indiuia, infinitos Angelos, homines infinitos, infinita ani-
malia, quæ nunquam tamen futura sint, nisi in solâ Mente Dei.
Eamque Scientiam ita vidi Deo competere, vt sine hâc Deus
non foret. Si enim præter eas, quas condet creaturas, alias pos-
sibles non cognoscat; certè ijs conditis, exhausta erit condendi
potentia; nemo enim id conficere potest, cuius ideam nō habeat
animo præconceptam. Illud etiam vidi cognitiones illas, non
esse in Deo diuersas, aut sibi inuicem succedentes; sed omnes om-
ninò simultaneas, inuariatas, claras, semperque constantes sibi.
Quin imò, id quoque perspexi clarè, omnes illas cognitiones si-
mul iunctas, nihil aliud esse quàm ipsum Deum. Adeò vt si vel
minima deforet, Deus esse desineret. Hanc verò scientiam Deo
prorsus esse necessariam, vt liberè, quæcumque vellet, posset con-
dere, etiam est manifestum. Liberè inquam; quomodo enim
mundum condere si volebat, hunc & tamen liberè condidit, si
nullum alium præter hunc, possibilem esse non cognoscebat?

*Scientia
simplicis
intelligen-
tiæ.*

-ATQVE

E e e

Incogniti

Incogniti sanè non datur electio; & ubi electio non est, libertas non est.

*Scientia
Visionis.*

Tum verò ad secundam Bibliothecam contemplandam conuersus, inueni isthic *Scientiam Visionis*, uti eam Theologi appellant, quâ omnia quæ re ipsâ extra Dei mentem ponenda & futura sunt, extra se iam posita, quasi præsentia æternitati suæ, clarissimè intuetur; & omnia rursus actu vnico. Hic verò omnium quotquot sunt, fuerunt, aut futura sunt creaturarum historia; per suos titulos in ordinem sunt digestæ. omnium inquam, non hominum modò, sed & animantium, herbarum, saxorum, atomorum, adeò vt vel minimæ formicæ tota vita isthic descripta sit, & quidem in variâ velut capita, paragraphosque digesta. qui parentes, vt ita loquar, quo loco nata, quo die, quâ horâ, quid singulis diebus egerit, quid comederit, quæ bella gesserit, ubi perierit, & quâ morte; nihil denique isthic deest, quod ad completam, perfectamque formicæ pertinet historiam. Atque hoc modo omnium prorsus creaturarum isthic digestæ sunt; quasi per volumina, historia; quas omnes sagax Deus, simul & quidem actu vnico perspicit, & contemplatur; vnaque si deesset arenulæ cognitio, rursus Deus non foret.

*Scientia
conditionalium.*

Quid tandem de immensâ illâ, quæ & tertia est Bibliotheca dicam; quam *Scientiam conditionalium* appellant? Huius sanè tanta est amplitudo, vt circa vnicam solummodo creaturam, prorsus sit infinita. Nouit enim non tantum quid agam Deus, aut quid porrò etiam acturus sim deinceps; sed & quid acturus in quâuis conditione, situ, loco, tempore constitutus; quid acturus si modò Romæ sim; quid si à centum annis vixissem; quid si in regiâ dignitate constitutus. Et quia infinitæ sunt circumstantiæ, infinitæ hominum rerumque combinationes, quæ singulæ in me possunt cadere; manifestum est, infinitam esse quam de me solo habet scientiam conditionatam; & de rebus omnibus, etiam possibilibus, scientiam infinites infinitam. Atque hanc habet, vt iam dixi, distinctam Deus, clarâ & euidentem, totamque concludit, & complectitur actu vnico. An non hæc sufficiant, vt ingentem prorsus, neque quæ verbis exprimi possit, de tantâ

Incogni

TRACTA-

TRACTATUS V.

25. **I**am verò, quòd animum meum stultè antehac perturbatum maximè componit, & sedat, est quòd totam hanc, quanta quanta est, scientiam rebus suis agendis adhibere videam Deum. Quid enim me iuuet, scientiam me naucleri agnoscere, eam si nauis dirigendæ video non impendi? Ego autem scientiam tam vastam, in Deo & agnosco, & mihi, totique orbi video adhiberi.

Totã hanc
scientiam
orbi dirigē-
do adhibet
Deus.

26. Mundum enim aliquem aut creaturam vt condatur, video eum totam possibilium rerum scientiam peruoluisse, eam vt seligeret, quam liberè crearet. Sic, vt me conderet omnes omninò homines posibles perspexit, eorumque historiam in primo volumine peruoluit, & cum meã, adhuc possibili tantum comparauit. Tum verò omnibus perpensis, me inter ceteros selegit, quem in lucem hanc suo tempore proferret: itaque me, librum possibilem quasi legens, clarã voce pronuntiauit; & hæc prolocutio Dei, mea est creatio. Nam *ipse dixit, & facta sunt.* adeò vt sicut vox mea quã *non sol* pronuntio, verbum illud format, & in lucem profert; ita quòd ego sim, nihil sit aliud quàm esse me Verbum externum legentis, & loquentis Dei. Hinc, sicut verbum quòd proloquor ita ab ore meo dependet, vt nec diutius sit, nec clarius, nec submissius, quam mea fert prolocutio; ita prorsus omnes quotquot sunt creaturæ, ab ore Dei pendent, vt si Deus esse desinat, aut nolit loqui, perituræ sint illicò creaturæ omnes, vt verbum meum desinit esse desinente me, aut nolente loqui. Certè *Verbo Domini celi firmati sunt;* nec celi tantum sed & quidquid orbis complectitur, *& spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Psal. 148.

Psal. 31.

27. Hinc sanè quòd me maximè securum facit, est, clarè videre nunc me, nihil prorsus in rerum naturã casu fieri, sed maximã industriã, consilio, & scientiã dirigi omnia, & attemperari. Nam si casus, est euentus non præcognitus, quique præter opinionem mentemque agentis, ex aliquã actione sequitur; quomodo casus aliquis in Deum possit cadere, quem video ab ipso, triplici & quidem diuersã scientiã, cognosci & percipi? Rursus, si ea quæ solam naturam sine libero hominis arbitrio spectant, consideramus; certè non casu ea Deum agere rectè quis dixerit, cum ad euentus illos exhibendos cælestia conformarit, & disposuerit in-

Nihil igitur
casu
fieri mani-
festum est,
neque in
iis quæ à
naturã de-
pendent.

strumenta. Non hyemes ergò, non æstates, non pluiuas, non ventos, non terræ ariditatem, non calamitatem segetum, non marium tempestatem, non fluminum violentos lapsus, non exundationes, non fulmina, non tonitrua, non culicum aut locustarum examina, non aëris putrefactionem, non morbos, non pestes, nihil denique casum terre possum arbitrari; cum vt hæc omnia suo quaque tempore euenirent, videam magna illa corpora, cælestesque globos, quasi instrumenta ex arte & industriâ fuisse disposita. Amens sanè sim, si hæc casum tulisse credam.

*Neque in
iis qua à li-
bero pendet
hominum
arbitrio.*

Iam verò, an ea, quæ ex libero hominis pendent arbitrio, si-
ne Numine euenire mihi persuadeam, cum ea ipsa sæpius per
Prophetas prædixisse sciam Deum, & profus eo quo contige-
runt modo? Quò pacto illa scire potuit, sine vllò errandi peri-
culo, si casu tantummodò, & non de industriâ Diuinæ Mentis
accidissent? Certè ne libertati vllum præiudicium inferat, in va-
stissimo illo volumine, scientiâ inquam conditionalium, con-
templatur prouidus Deus, quid quisque homo in quâuis occa-
sione, & rerum quibuscumque circumstantiis constitutus liberè,
& pro suo quo gaudet arbitrio facturus sit: hisque ritè circum-
spectis, eas positiones, circumstantiasque rerum seligit, in qui-
bus ita suo quouis vtetur arbitrio, vt libera eius actio, euentui
quem Deus menti præfixum habet, certò, infallibiliterque deser-
uiat. Et sic, si causas proximas ad effectum concurrentes spectas,
sæpè casum dices; si Deum causas remotè disponentem, consi-
lium imò & fatum seu effatum Dei esse fatebere. Id quidem in
Abfalonis & Iosephi historiâ, imò & in Christi sanctissimâ Na-
tiuitate mihi factum est manifestum.

28.

*Omnia igitur
bene
feri quæ à
tali Mente
sunt uni-
uersim iu-
dicandum
est.*

Hæc cum ita sint, quid me de rerum euentibus posthæc per-
turbo, quos tantò consiliò, tantâ arte à sapientissimâ illa Men-
te video prouenire? An ego fortassè adeò amens sim, vt Deum
credam aliquid ignorasse, quod melius sit; aut si sciuit, facere no-
luissè; aut si voluit, facere non potuisse? Aut tam proiectæ sim
audaciæ ego, vt cum Alfonso Rege, Deum corrigere me posse
credam, qui ne tantum quidem habeo industriæ, vt vel mini-
mam pluuiam rite & ex arte, è nubibus mihi concreditissimè
exprimere?

29.

*illique ac-
quiescen-
dum.*

Nimis alta animo meo iam de Diuinâ Sapientiâ insidet opi-
nio, quam vt eam vellicem, aut dubitare possim aliquid non re-
ctè

30.

31. Prou. 16. *Atē fieri. Tacebo profectō posthāc! Tonet, ningat, pluāt, aestates ardeant, sauiant hyemes, disscindatur terra, pereant segetes, langueant animalia: ego certē approbabo deinceps omnia, neque benē fieri dubitabō, quæ Sapientissimi Numinis arbitrio, æternisque legibus video decurrere; & quidem ita decurrere, vt gloriam Numinis, cui amplificandæ omnia Dei opera subseruiunt, liquidō, apertēque manifestent. Vniuersa enim propter semetipsum fecit Dominus. Absit ergō vt quidquam malefaciat, propter se quod facit.*

TRACTATUS VI.

31. **H**Ac ergō opinione penitus imbutus, tum dēnum ad querelas, quibus Diuina Prouidentia impētur me conuerto; illudque liquidō video, futiles illas profus esse, imō quæ Diuinæ Mentis sagacitatem apprīmē commendent, & declarent. Quid enim? Dei non esse clamant homines, scelera tam nefaria perferre; homicidia, adulteria, veneficia, idololatriam, aliaque crimina Diuino honori officere; neque si humana curaret Deus, tantam passurum sibi iniuriam irrogari. Ita tu quidem, qui Diuinas artes non perspicis. At verō istud ego video, quamuis scelera malē ab hominibus perpetrentur, optimē tamen permitti à Deo, ne vllū libertati humanæ interat præiudiciū. Libertatem autem suam hominibus constare quōd velit, id quidem Sapientissimo fit consilio. Gloriosum enim est Regi, non à mancipijs vi & necessitate coactis, sed à liberis hominibus spontanea obsequia excipere, quæque vltro & liberē subditi Regi deferant. Mancipiorum obsequia fat multa habebat Deus. Omnes omninō inanimis, animatæque creaturæ rationis expertes, Deo obsequuntur, sed necessariō. Dæmones ei parent Dominumque agnoscunt, sed vi, tormentisque coacti. Angeli idem præstant, voluntariē quidem sed non omnimodis liberē. Aliud itaque obsequij genus requirebatur voluntarium & tamen liberum. Hoc ab hominibus, ad gloriæ suæ propagationem petit Deus. Libertatem itaque homini dare debuit prudens Numen; hanc verō si dederit, certē scelera permittere necesse fuit, ne ipsi non liberē seruiatur.

32. **Q**uid, quōd per ipsa scelera, gloriā suam magis orbi fecerit mani-

*Neque va-
feri esse in
mundo sce-
lera.*

*Malicia,
sūt in mū-
do, sed bene
à Deo per-
mittuntur.*

*Ratio pri-
ma.*

*Ratio se-
cunda.*



manifestam? Scelera certè si abfuissent, numquam cruentum illud sacrificium in arâ Crucis fuisset immolatum. & tamen maior ex illâ morte, ad Patris offensi gloriam facta est accessio, quàm per omnia quotquot fuerunt, aut erunt scelera, possit detrahi. Rursus scelera si committi non potuissent, certè neque Dei legesferentis Dominium, & Iurisdicctio; neque scelera tolerantis Patientia; neque Misericordia condonantis; neque Amor pœnitentem complectentis vnquam mundo patuissent; hominemque latuissent præclarissima attributa Dei. En vt ad Gloriam Dei manifestandam maximè faciant ea, quæ tu Diuinorum ignarus, Diuinitati credebas officere.

Ratio ter-
tia

Adde quòd & aliena scelera, rebus etiam humanis conduce-
re videam. Præbent enim ea probis patiendi materiam ingèn-
tè, virtutis exercendæ campum aperiunt, Martyriorum quin
imò gloriam Deo afferunt. non enim tot fortissimis sanctissimis-
que viris gauderet Ecclesia, nisi tyrannorum scelera permisisset
Deus. Denique præclarissima Diuinæ Gloriæ augmenta dabunt
scelerati. Iustitiæ vindicatiuæ, æternitate totâ, daturi documen-
ta. Hinc sanè illud conficio, maximè è Dei gloriâ esse, peccata
permitteri; nam vt præclare Augustinus: *Non enim Deus omnipo-
tens (quod etiam infideles testantur, Rerum cui summa potestas)
cum summè bonus sit, villo modo sineret mali aliqui esse in operibus
suis, nisi vsque ad eum esset omnipotens. Et bonus, vt bene faceret etiam
de malo.*

33.

D. Aug in
Enchir.
c. 10. & 11.

TRACTATVS VII.

Neque sce-
leratos in
hoc mundo
esse felices
conqueri
possumus.
Magnâ id
ratione id
permittit
Deus.

Hinc verò iam prorsus capio, alterum querelarum, perturba-
tionumque argumentum; quodque non paucos excruciat.
*Quare scilicet via impiorum prosperetur, et taceat Deus deu-
rante impio iustiorum se?* Cur sceleratissimis hominibus fortuna
sit prospera, optimo cuique aduersa. Præterquam enim quòd
hæc impiorum felicitas fidem meam quàm maximè confirmet;
cùm id mihi exinde manifestum fiat, aliam post hanc superesse
vitam, aliud tempus expectandum, quò præmia Virtuti, scele-
ribus supplicia sint deputanda; cùm iustus sit Deus, neque ta-
men in hæc vitâ aut supplicia à cunctis exigat, nec verò cunctis
etiam præmia largiatut; illud præterea ex hæc tam inæquali for-
tunarum

34.

Hier 11.
Habac. 1.

Sen l. de
Prou c. 5.

fortunarum distributione existit commodi, quod hinc liquido discam, nec bona esse, nec mala quæ vulgus eo nomine stultè appellat. Hoc igitur, vt rectè Seneca, *est propositum Deo; Sapienti viro ostendere, hec que vulgus appetit, que reformidat, nec bona esse nec mala; apparebunt autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit; & mala esse, si malis tantum erogauerit.* Alia itaque necesse est esse bona, quæ solis bonis tribuantur. Et hoc rursus spem acuit expectatione futuri.

35. Et verò quid me tam vaga & inæqualis fortunarum deliciarumque distributio tantopere torquet? Illud enim cum mecum perpendo, manifestè comperi, nec malos omnes à bonâ fortunâ excludendos; neque bonos etiam omnes, & solos, felices esse debuisse. Nam si mali omnes & soli felices sunt, iam passim homines peruersi fient, vt sint fortunati. Rursus si mali omnes à fortunâ bonis excluduntur, peiores longè euadent, Diuinumque Numen offendens quasi iniuriâ irritati: præterquam quod miseris efferati, iura omnia etiam humana pertringentes, totam maleficijs, furtis, & rapinis perturbaturi sint Rempublicam. Neque rursus boni omnes & quidem soli, felices esse possunt; plurimi enim delicijs peruersi, Virtutis semitâ deserta, in omne prolaberentur nefas. Nec rursus omnes bonos infelices esse conuenit, ne non sit qui Diuinum cultum diuitijs promoueat, aut qui sceleratorum hominum impudentiâ, pro dignitate se opponat. Nihil itaque de tantâ fortunarum inæqualitate habeo quod conquerar, quam video induendam omninò fuisse, vt rectè sibi constarent omnia.

Neque aliter fortunarum distributio esse debuit, quâ bonos inter malosque promiscua.

TRACTATUS VIII.

36. Non minus insanum esse iam perspicio, quod me tanta ingeniorum, geniorumque diuersitas, quanta inter homines reperitur hætenus perturbat: quasi si è re nostrâ non esset, tam multos reperiri homines stupidos, amentes, tristi indole, retricos, deformes, colericos, præcipites, tardos, sanguineos, atrabilarios, fungos denique & stipites; quibuscum tamen necessariò viuendum est, non sine summo tædio & molestiâ; vbi sanè iucundissima videtur futura vita, eiusdem si forent homines indolis & naturæ. Stultas profectò eiusmodi cogitationes esse illicitas comperi,

Ingeniorumque diuersitas maxima esse debuit.

compèri, cùm otiosus ego, ciuitatem hanc in suas classes cœpi distribuere, & colericis quidem, & tristibus, & sanguineis, & sapientibus, & amentibus sua dare statua & castra. Nunquam errari magis, quàm cum me maximè credebam sapere; tanta enim est hominum inconstantia, vt nunquam iidem sint, nullum etiam certum diu obtinere possint locum.

Ad sustentationem commercij humani.

Denique absque illâ diuitiarum, ingeniorumque varietate, humanum commercium prorsus interiret, aut sanè viueremus miserrimè. Quid enim? An si omnes æque diuites, æque ingeniosi; quisquam alteri seruire volet, & subijci? An aliquis viliora exercere opificia? An segetes curare, an panem pinere, an ædificare domos, an alteri esse à pedibus? Et tamen sine his natura non stat; aut si stat, non stat commodè. Magno itaque artificio, opum primò inæqualitatem induxit Deus, vt necessitas ipsa ad laborandum adigeret, pauperioresque diuitibus dum inferuiunt, sibi faciant benè. Geniorum item varietatem finxit, vt pro suo quisque genio, ad diuersas artes mentem liberè applicaret. Corporis ideo variam constitutionem esse voluit, vt alio & alio genio præditus quiuis esset, & ad alia atque alia exercitia aptiori. Atque hæc omnia tantâ industriâ, tanto consilio, tam multis expensis circumstantijs cùm peregerit tantus Deus, tam vasta Mens; sanè non habeo quod opponam; approbo omnia, quæ in rerum naturâ condita sunt, & illis planissimè acquiesco.

37.

TRACTATUS IX.

Hinc sequitur approbandas esse omnes publicas calamitates, pestes, bella, Regnorum euersiones.

His itaque rectè generatim constitutis, tum certè cœpi ad ea quæ inter homines particulatim aguntur, oculos mentemque deslectere. Et isthic occurrerunt, primò patriæ calamitates, seditiones, bella, prouinciarum deuastationes, & excidia: & quidem quod me maximè perturbabat, erat, quòd hæc aut Principum inguriâ, aut militum ignauia, aut etiam insolentia, aut pessimò Optimatum consilio viderentur accidere. At verò cum penitus rem inspicio, video sanè hæc Dei non de hominibus modò, sed & de Regnis integris rectè disponentis esse decreta. Ita sunt res humana, vt felicitas diuturna esse non possit, ne tandem noceat. In omne nefas abeunt Respublicæ, quibus diu fortunatis esse datur. Idcirco fortunam migrare vult Deus, & quasi

38.

quasi æstum volui, ne longâ maliciâ putrescant vndæ. Quid igitur bellorum tumultus miror, quid hostium agmina in Prouinciam inuolare? Fortuna sedes mutat; hostes baiuli sunt, qui fortunam humeris suis efferant. An verò etiam priuatus quis, ædes mutat sine strepitu, sine curruum, baiulorumque tumultu?

39. Neque verò hic est, quod ego aut Regum insana consilia, aut Principum insolentiam, aut Præfectorum discordiam, aut militum incuriam, & ignauiam, aut populi seditiones tantopere incussem. Instrumenta enim hæc sunt, per quæ Deus felicitatem è regnis effert: id verò populi merentur scelera, hæc hostes nostros fortes faciunt; *Peccatis enim nostris Barbari fortes sunt*; & ob populi effrenes mores, sanctissimi etiam & castris, & Regno nonnunquam exuti sunt Reges. Scelera nostra sunt quæ Regibus consilia adimunt, optimatibus prudentiam, militibus fortitudinem, ciuibus concordiam. Hæc itaque Dei, bono nostro nos castigantis cum sint supplicia, & quidem iure, meritoque optimo inflicta, illud certè restat, vt exosculer castigantis manum, nec quidquam obmurmurem. Nam verissimum est illud Augustini. *Seuire videtur Deus cum ista facit; ne metuas, nunquam sic seuit, vt perdat. Quando malè viuus si parcit, plus irascitur. Omnes iste tribulationes flagella sunt corrigentis, ne sit sententia punientis.*

Aug. in
Psal. 65.

Quas magno consilio procurat & magnâ industriâ disponit Deus.

TRACTATUS X.

40. Omnibus denique quæ extra me aguntur rite compositis & peractis, tum demum domum meam me confero, & isthic video turbatum quid sit, & quæ perturbationum scaturigo. Atque illud imprimis comperio hanc primam inquietis meæ esse originem, quod me ipso contentus non sim; alius videor esse debuisse; ipse mihi non placeo, nec id quod sum. Quid igitur mirum illi displicere omnia, qui sibimet ipsi non placet?
41. Hunc autem mihi aculeum vt eximerem, tum verò mecum sic egi. Quid tu miser homuncio cum sis, quid te sapientissimæ illi Menti quæso opponis, quasi tu melius esse quid debueris, quàm sis modò? An tu aliquid iuris habebas vt esses in rerum naturâ, præ omnibus qui condi poterant hominibus, qui tamen nullam aliam lucem habebunt, nisi eam quam in Diuinâ rerum

Quique etiam suo statu contentus viuere debet.

Nã à Deo sumus id quod sumus.

possibilium scientiâ sunt consecuti? Nonne ex altissimâ illâ Mente, quasi ex Ideâ profluxisti? Nonne is te in hanc mundi tabulam eduxit, & eâ te in conditione posuit, in quâ nunc es? exilis es, humilis, egenus, æger, Rex, mendicus, seruus, aut Dominus; & hoc ipsum ab ipso es, *vnusquisque enim proprium donum habet à Deo.* At verò non alium voluit te is, è cuius manu & voce es id quod es. hoc gloriæ suæ imprimis iudicauit conducere. Egregium enim verò sit facinus, si masculi minores in picturâ ab artifice in locum minus præclarum coniecti, litem mouere incipiant, queranturque se non tam viuis coloribus expressos; educi se velle clamitent, veluti ij qui in primâ tabulæ facie, magis stant conspicui. Quasi verò pictor artis suæ rationem habere non debeat, & singula efformare prout idea, & perspectiuæ fert ratio.

*Qui statim
cum tan-
quam con-
uenientissi-
mum nobis
selegit.*

An omnes Reges esse debent, omnes diuites, omnes eximij? quæ demum tunc erit vniuersi symmetria? Et quid tanti interest, quam demum ego partem agam, si illam ingeniosè exprimam, si artem mei conditoris benè agendo commendem? Adde, quod omnibus circumspectis, viderit sapientissimus meus Deus, conditionem hanc quam modò obtineo mihi maximè conuenire; hanc ad salutem procurandam mihi solam conducere; neque in vllò prorsus statu, me aut salutem meam, aut eius honorem præclariùs promoturum? Quin ergò tam altæ Ideæ acquiesco? An ille qui omnia in pondere, & mensurâ fecisseprehenditur, in me solo credendus est errasse? Et qui ne formicam quidem condidit, cui non omnia exactissimè sit ad mensus, quæ naturæ tam exili visa sunt conducere; mihi propter quem creata sunt omnia, quidquam denegauit, quod ad bonum meum, artisque suæ commendationem requirebatur? Insanus certè sim, si id suspicer. Non igitur me hâc in parte turbabo posthac; à Deo sum, id quod sum; & vt Dei sim, sum id quod sum. Bene itaque mihi est, nec aliud esse posthac, si liceat, velim; ne tantæ sapientiæ me opponam.

42.

TRACTATUS XI.

*Si statum
contentus
sis, etiam*

HOc autem si prorsus velim, statuique meo aut conditioni si acquiesco, tum demum omnibus quæ me ad hunc statum perduxerunt

43.

perdixerunt euentibus, necesse est vt penitus acquiescam. Externa ea sunt quædam, quædam interna. Externa vt parentes, natiuitatis locus & tempus, educatio, propinquorum mors, fauor aut inuidorum æmulatio, nobilitas aut obscuritas generis, prospera fortuna aut aduersa. Interna sunt, animi aut corporis dotes, ingenium, hebetudo, membrorum vires aut languor, atque his similia.

is qua te ad eum statum perduxere adiumentis acquiescas necesse est.

44. Quid verò de his demens conquestus sum hætenus, qui Dei adinventiones & artes non attendi? mediocrem quia mihi conditionem in mente suâ designarat Deus; idcirco humilibus nasci me parentibus voluit, nec iis qui ad altiora me studia applicarent. Manuum labore viuere volebat me; idcirco ignobiles mihi natales procurauit, vt ab ipso exordio durioribus assuescerem, & necessitate, & verò etiam parentum inductus exemplo. Sic iam facilè fortem meam fero, ad quam deiici prorsus fuisset intolerabile. Plebeius esse si debui, an commodiori modo ad eum poteram statum deduci? Quid ergò queror, aut parentes præmaturè ereptos mihi, aut fauores denegatos, aut abiudicatam litem, aut fortunæ vices asperas? Plebeium me voluit Deus, pauperem & deiectum; & verò ego alius esse non volo. Acquiesce igitur adiumentis illis, per quæ factum est, vt statum tibi tam conducentem obtineres.

Sive ea externa sint.

45. Neque iam adeò de animi corporisque dotibus Deo litem moue; nec de ingenio tuo, aut formâ, valetudineuè corporis, est quod conqueraris. Hæc enim ipsa sunt, quæ statui tuo procurando fuerunt adiumenta. Neque tuas cum alienis dotes compara, quietus vt sis. *Vnnsquisque enim proprium donum habet à Deo, vnus quidem sic, alius verò sic,* pro vt status vniuscuiusque & conditio requirebat. Et verò si te alteri comparare vis, omnia simul appende, & quæ habet incommoda, à commodis quæ sola tu trutinas, ne disjunge: verum & bona & mala tua, cum alienis bonis & malis, æquâ lance expende: videbisque confestim, nihil prorsus deesse tibi, iustissimâque trutinâ omnia tibi fuisse appensa.

Sive etiam interna.

1. Cor. 7.

Nec tua cili alienis comparata, vt quietus sis.

TRACTATUS XII.

*Si statui
acquiescere,
etiam in
qua statum
tuum effi-
ciunt con-
tentus sis
oportet.*

Hinc illud rursus liquidò consequitur, quòd, si statu meo contentus viuam, nihil etiam debeam velle adiectum conditioni meæ, ne parùm quidem. An enim ob exiguam planè rem, ob exiguas opes, exiguam valetudinem, exigua commoda, æquum est queri me de benefactore meo, qui omnia reliqua mihi præstitit, præter exiguum quid, quod ego ingratus appeto? Certè nihil mihi deesse video; sola me mea excruciat inuidia. In vicinâ domo paulò plus quòd videam commodi, idcirco mihi deesse videntur multa. Paupertate meâ lætus viuerem, si nemo ditior esset me. An verò hoc tolerandum est, aliena me quod excrucient bona; benefactorique meo ingratus quòd sim, idcirco quòd in alium magis mihi visus est beneficus? At verò non fuit; mea enim, meo statui commensurata sunt; adiiciendum est nihil, ne statum mutem; meus mihi proprius est, & solus meus.

Neque alius inuide.

Neque plura expete ob curam filiorum,

Quòd autem filiorum cura, diuitiarum mihi augendarum mentem iniicit, nugæ sunt, & cupiditatis meæ tegumenta sanè puerilia. Filiorum curam à Deo habeo; igitur & filiorum ipse est Dominus. Si pauper sum, etiam filios pauperes voluit Deus; idcirco voluit ex me nasci, & quidem plures esse voluit, vt præ me, pauperiores adhuc essent. Curandi igitur liberi; sed magis curandus Deus, mentisque meæ tranquillitas. Plures opes nolo, vt mihi & ipsis bene sit, dum viuo; mortuo verò me, filiorum curam aget, vt solet, Deus.

Neque bonorum operum facientiorum prætextu.

Neque maiores mihi aut opes, aut dignitates, aut scientiam, aut ingenij quidquam adiici, cupio, quasi maiora tum aut Misericordiæ, aut virtutum aliarum opera præstiturus: prætextus hi sunt, inuentaque, sed falsissima. Illud enim liquido comperi, cum fortunâ mutandum me, neque facturum ea quæ modo volo; video enim nihil tam facile inter opes, quam beneficentiæ venam exarescere. Vix quisquam miseretur, qui miser non est; nec miseris tangitur alienis, qui suis non vrgetur. Non itaque aliud volo, nec tantillò quidem augeri desidero, ne illicò aliud fiam; & verò etiam alius: Sufficit id quod sum.

TRACTA-

TRACTATVS XIII.

50. **S**Tatui verò si acquiescam; quam illud est ridiculum, quòd ^{Item si sta-} malis, & aduersitatibus, quæ nullum non statum circumstant ^{tus tibi} & agitant, nolim vrgeri? Nolo itaque homo esse, qui aduersa ^{tuis placet,} nolim perpeti. Certè qui nec vento, nec vndis moueri vult, ^{placant} nauigare is non vult; & verò ei displicet nauigandi conditio. ^{est ea qua-} Quid maleuolas linguas, quid diſteria, quid calumnias, quid ^{illi necessa-} inuidias, quid iniurias exhorresco? Venti sunt, quibus nauiga- ^{rio annexa-} tio nostra promouetur. Sed bonum nauis meæ directorem ha- ^{sum mole-} beo, & cum quidem, cui parent venti, & mare; imò qui tempe- ^{stia.} states illas immittit, ac idcirco securus sum. Moueor & non commoueor; turbor, sed minimè perturbor. Illud enim vidi, non malis nos turbari tantoperè, quam opinione mali; aduersa nos putamus ea, per quæ cursus noster felicissimè promouetur. Hoc quidem & in Israëlítico populo conspexi, & in me præcipuè; auersatus sum olim ea, quæ maximè mihi, vt iam video, profuere. Itaque Deo me committo, *non patietur ille nos tentari*

^{1. Cor. 10.} *supra id quod passumus, sed faciet etiam cum tentatione prouentum;* neque tempus, neque modum, neque materiam patiendi mihi præscripsero: Dei aduersa immittentis manum aspiciam; illam exosculabor supplex, & verò etiam adorabo; illudque dicam

^{Iob 19.} *Manus Domini tetigit me, & in manibus tuis sortes meæ,* à quibus ^{Psal. 30.} pati, summa est felicitas.

TRACTATVS XIV.

51. **Q**uòd si ergò mihi persuasero, statum meum, conditionem me ^{Rursus} optimam esse inter omnes, quæ mihi poterant contingere; ^{opera sta-} tum denique etiam istud statuam, ea me debere exhibere opera, ^{tui tuo pro-} quæ à statu meo expectantur; deinde ea amplectendâ esse, quæ ^{pria ne di-} conditionem hanc necessariò consequuntur. Quis enim faber ^{splicent.} conditione suâ dicat contentum sese viuere, ferrum quem tædeat domare, & incudi incubare malleis? Religiosi actiones quid me sollicitum tenent, si in matrimonij statu à Deo collocatus sim? Quid iuuenum opera senex moror, quid viri sæmina, quid valentis æger? Certè ea non petit Deus. Cur ergò importunus

Fff 3

ea

ea nolenti obtrudo, mihi que quasi de re bene actâ blandior? Sanè quæ agenda sunt, agam; neque alia, nisi mea opera exigere potest Deus; neque picturam sibi delinearî postulet parens à filio, quem textrina addiscendæ puerum admouit; neque aliena exiget Deus, qui *unicuique reddet secundum opera sua*, non verò secundum aliena. Matt. 16.

Neque de labore cōquerere.

Operibus verò meis si contentus sim; sanè de molestiâ, & labore ijs annexo non est quod ingemiscam. Neque de malleorum pondere, nec de carbonum fuligine, est quod fabri questionem moueat; hoc enim est fabrum agere, aliter ferrum non cuditur; nec sine labore sum id quod sum, nec ago id quod agendum est. 51.

Neque de dolore qui laborem cōsequitur.

Laborem autem uti necessariò sequitur dolor, sanè & cum res occurrerit, dolendum est mihi, & rursus gaudendum est quòd rectè doleam. Fletus & suspiria conditionem nostram necessariò consequuntur, fateor; verum illud etiam didici, gaudere quòd possim; eò quòd fleam & quòd doleam, illud enim gaudium in eo situm esse perspexi, ut corpore in lachrymas resolutò, animus sibi constet. Constat verò, si iudicet rectè hæc euenire, quæ tantorum sibi gemituum sunt causa; tum verò velit ea contingere, & approbet quin imò sanctissimam Dei voluntatem, nolitque non dolere. Hoc est gaudere quòd doleas; hoc denique est inter corporis agitationes & procellas, stare immotum, id est quiescere. 52.

Sed cū dolendum est, gaude quòd doleas.

TRACTATUS XV.

Tandem & morti acquiesce.

Ultimum tandem restabat, quod conditionem nostram consequitur, quodque me turbabat maximè, rem extra Prouidentiam Dei considerantem; est autem illa, tantis hominum calumnijs impetita, amara ut vocant Mors. Verum nihil ego difficultatis in eâ comperi, quæ non afficta sit. Terribilem eam dicunt homines, *primò* quòd vitam omnemque vitæ dulcedinem eripiat. *Secundò* quòd inexpectata adsit. *Tertiò* quòd per morbos inferatur sæpè molestissimos. *Quartò* quòd ab eâ felix aut infausta pendeat æternitas. Audiui hæc quidem sæpè, imò & credidi. 53.

Quia natura, quæ contentus es, debita.

Sed cum rem bene expendo, mortalem cum sciam esse conditionem 54.

ditionem meam, eamque sic esse velim, quid conqueror conditioni meae satis fieri? An ergo immortales homines esse oportuit? Non igitur conditioni meae acquiesco id si velim, praeterquam quod Deo sim iniurius. Cur igitur magis conqueror mori me, quam esse? Vtrumque enim mea fert natura. Et verò an aded dulcis est haec vita, ut morti eam eripienti, tantopere succenseam? Cur igitur de malis vitae semper conqueror, si malis eripi nolo? Aut cur mortem exhorresco, per quam fit, ut tantis malis tandem eximar?

55. Incerta verò quod sit & inexpectata; hoc quidem, meae est incuriae, cum nullo non tempore expectari debeat; illud verò, magnum Dei beneficium est. si enim de certâ mortis nobis horâ constaret, non liberet vivere, utpote quibus ultimi & iam cogniti vitae anni, mortis instantis memoriâ in luctus irent; & sic metufuturi, praesentis vitae dulcedo prorsus amaresceret. Iam vivimus, & mortis incerti vivimus, & læti utcumque vivimus; & quia mortem nemo praesentem videt, vitâ fruimur.

Incerta si sit, incertâ esse conveniens.

56. Morbos verò, Naturæ, Dei inquam video esse inventum pulcherrimum. Per eos enim percipio *primò* naturam paulatim dissolui, & sic fieri ut moriamur, mori qui debuimus. *Deinde*, ut praestituto moriamur tempore. *Tertiò*, ut non inuiti discedamus ex hoc misero corpore; in quo tam acerbè anima hospitatur. *Quartò* denique, ut etiam suaviter moriamur, efficiunt. Obstupesciunt enim morbi vigorem sensuum, phantasia defatigant, nervos hebetant; & sic animæ excedentis luctam, corporisque contractiones vix persentiscimus. Quid igitur morbos accusamus, pulcherrimum naturæ sese dissolventis artificium?

Morbi, artificii sunt dissolventis se naturæ.

57. Denique ultimum istud momentum non est quod timeam, sed malam vitam, quæ sola momentum illud facit esse terribile. Momentum autem illud scire nolo, nec verò necessarium id est: nihil enim ut me ad illud comparem requirit Deus, nisi id quod modò ago, si ago benè. Illud solum mihi agendum tum incumbet, ut cum moriendum erit, moriatur etiam benè, hoc est, lætè & libenter. Gratias itaque agam Deo meo, Conditori meo, Gubernatori meo, momentum illud cum appetierit; & scenâ iam peractâ, *Corpus deponam velut vestimentum*, illud ad patres suos remittam, ut cum ijs in pulvere dormiat. *Mea interim conversatio erit in caelis*, donec tempus illud adsit, quo Saluator meus veniat,

Articulum ipsi mortis bonum facies moriendo lætè.

veniat, qui reformabit corpus humilitatis meæ, configuratum corpori Ad Phil.
claritatis suæ; Tum verò simul cum Domino erimus. Hæc vitæ meæ^{3o}
scena, hic decursus, hic exitus. 1. Thef. 4.

CONCLUSIO.

IAm verò, quid demum est in conditione meâ, de quò meritò 58.
possim conqueri? imò quid non est, de quo mihi non gratuler;
Deoque gratias agam, si fieri posset, etiam infinitas? An non ea
felix dicenda est vita, quæ ad æternam ducit felicitatem? An
alius esse volo qui ad tanta natus sum, & per ea quæ iam acci-
dunt felicissimè isthuc deuehor, & deducor? Certè mortalis sis
licet homo, multisque, vt tu quidem credis, miserijs implicatus,
nihilominus vti rectè Poëta; *Quod es, esse velis, nihilque malis.*
Hoc omnis lætitiæ est compendium, imò solum in hâc vitâ gau-
dium. Illud autem quouis in statu datur obtinere: & verò si tuo
contentus viuus, propterea quòd Deo ita sit visum, sanè re-ipsâ
iam obtines,

Cæterùm; finge tibi quascumque vel imaginatione assequi po- 59.
tes delicias, commoda & voluptates, cælestes modò excipias,
nullam sanè reperies, quæ huic comparari possit. Audeo dicere
non aliud gaudium in mundo dari, præter animum securum
fui, & verò contentum suo. Cælum is est, Paradisus est, situs
quamuis in medio terræ; inter medias tempestates semper illic
serenum est; alias si delicias quæritis, nequicquam quæritis; fu-
cata sunt aliæ omnes, falsæ sunt, quæque multum habeant no-
minis, nihil rei. Huic ergò quærendo insistite; intra vos est,
neque alio loco inuenitur, quàm in animo rectè constituto.

Verùm, vt vidistis, tota mentis rectè ordinandæ ars, ab exi-
miâ illâ, præclarâque de Diuinâ Sapientiâ opinione, & existi-
matione dependet; omnis tranquillandæ mentis fundamentum
hæc est, neque singularum rerum rationes perquirendæ sunt, vt
mentem places, euentibusque acquiescas; illud solum sufficit,
fixum ratumque habere, nihil præter Sapientissimæ Mentis or-
dinationem, cuius tantam concepisti existimationem, in totâ
naturæ serie euenire.

Scio quidem, summâ cum animi voluptate, singularum quæ 60.
circa nos contigerunt rerum, exactissimas rationes, perspectu-
ros

ros nos tum cùm *reuelatâ facie* Sapientiam illam increatam in cælis dabitur intueri; illic summo cum gaudio *admirabiles adinventiones* tantæ Mentis approbabitur, eas æternitate totâ decantaturi. At quod isthic oculis ipsis sumus intuituri, hoc nunc fide credimus, & verò etiam, naturæ benè ratiocinantis ductu, vtcumque assequimur: sic vt in pias illas voces admirationis & gaudij plenas cum Psalmistâ erumpere meritò possimus: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & sanctus in omnibus operibus suis.*

61. Æterna Mens, Prouidentia sancta, Sapientia infinita! Ah! qui fieri potuit, vt me tanto tempore latueris, quæ toto orbe tam es manifesta? Cæcum heu me, & verò stolidum & insipientem! In quibus denique errorum tenebris latui, tam præclaram lucem hætenus quòd non consexi! O quantas tibi gratias debeo, Æterna lux, tenebras tam tristes quòd discussis! Certè, *hoc vnum* cum Demetrio *de te conqueri possum, quod non ante mihi Voluntatem tuam notam fecisti: prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatus adsum.* Quid igitur à me exigis Magne Deus? infinita Mens, quid requiris? *Vis liberos sumere? illos tibi sustuli. Vis aliquam partem corporis? sume; non magnam rem præmitto; citò totum relinquam. Vis spiritum? Quidni? nullam moram facio, quòd minus recipias quòd dedisti. A volente fers, quidquid petieris. Quid ergò est? Maluisssem offerre, quam tradere: quid opus fuit auferre? accipere potuisti. Sed ne nunc quidem auferes; quia nihil eripitur nisi retinenti. Nihil cogor, nihil patior inuitus; nec seruo Deo, sed assentio; eo quidem magis, quòd scio omnia certâ & in æternum diuina lege decurrere.*

62. Et hic quidem apex est, Auditores, totiusque perfectionis culmen; non tantum ea quæ eueniunt, nobis accidere vt patiamur; sed vt calculum non inuiti, at sponte nostrâ sine hæsitacione adijciamus, nostroque suffragio facta penitus comprobemus. Hoc est gaudere rem ita se habere, pro vt se habet; hoc est magnificum illud, & verò etiam heroicum *Fiat voluntas tua*; illud autem, summa est, non voluntatis tantum, sed & iudicij cum Deo conformatio. Hanc denique sequi debet prompta gratiarum actio, quâ Directori nostro optimo & maximo summas habeamus grates, tanto consilio, & industriâ id nobis quòd selegit, in tantâ rerum, conditionum, & fortunarum varietate, quod

G g g

rebus

rebus nostris salutique iudicabat maximè conducere, & verò etiam suam gloriam præclarissimè promouere.

Quid ad hæc, Auditores? Quò demum estis animò? An aliquando tandem sine vllâ hæsitatione vos, vestraque omnia tam Sipienti Deo committetis? An adhuc fortassis iudicium vestrum, quod vidistis quàm sit tenue, quàm cæcum, quàm inconstans, arbitrio omnia circumspicientis, vestramque salutem tenerimè adamantis Dei, vultis interponere? vbi ergò tanti Numinis existimatio? vbi præclara, quam concepistis de Sapientissimâ Mente opinio? Aut aliquid fortasse detractum cupitis, aut adiectum æternæ Prouidentiaæ præclarissimis decretis? Ne quæso tantam Deo vestro, imò & vobis ipsis iniuriam inurite. Illud certè cum Epicteto vobis ingeram. *Homo, aude tandem sublati ad Deum oculis dicere: Tracta me post hac arbitrato tuo; eiusdem tecum sum animi, nihil recuso, quod tibi videtur; quo volens ducito: veste quâ volens induito. Vis me fungi magistratu? Privatam vitam agere? Manere, exulare, pauperie conflictari, opibus abundare? Ego te apud homines defendam, rectèque omnia circa me agi mordicus tuebor; & nusquam partes tuas agam impensius, quàm vt contra corporis mei semper obmurmurantis insanas affectiones, decreta tua sanctissima propugnem.*

Quod si eximium hunc de Diuinitate sensum altè animo imbiberitis, Auditores, tum verò dicam ego vobis, felicissimos inter mortales esse vos; eam vos consecutos esse, quam mundus dare non potest pacem; illudque cum Apostolo vobis gratulabundus occinam, vt isthic terminetur vbi incepta est oratio; *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete; & pax Dei que exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu Domino nostro. Amen.*

64.

Apud A.
ria. l. 2.
c. 16.

65.

Ad Phi-
lip. 4.

F I N I S.

ELEN-